



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ
propositiones, & alia

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 7. Quid est in Sacramento Pœnitentiæ, res tantùm, Sacramentum
tantùm, & res ac Sacramentum simul?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40817

De Sacram. Pœnitentiae. Cap. I. 5
esse explicitum , aut implicitum : Explicitum quando quis actu & expressè desiderat recipere Sacramentum Pœnitentiae : Implicitum quando aliquis facit aliquid quod in se includit desiderium Sacramenti Pœnitentiae : ut quando aliquis qui nullam habet cognitionem hujus Sacramenti , elicit actum contritionis perfectæ , aut amoris Dei ; tunc enim habet desiderium implicitum Sacramenti Pœnitentiae , quia eliciendo actum contritionis aut amoris Dei , habet verum desiderium adimplendi omnia quæ sibi à Deo præcepta sunt , & consequenter recipiendi Sacramentum Pœnitentiae , si post Baptismum commisit aliquod peccatum , si sciret Sacramentum Pœnitentiae institutum esse à Deo ad remittenda peccata commissa post Baptismum.

Quæst. 7. Quid est in Sacramento Pœnitentiae , res tantum , Sacramentum tantum , & res ac Sacramentum simul ?

Resp. Divus Thomas ita respondet : *Dicendum quod etiam in Pœnitentia est aliquid quod est Sacramentum tantum , scilicet actus exterius exercitus , tam per peccatorem pœnitentem , quam etiam Sacerdotem absolvemus : res autem , & Sacramentum , est Pœnitentia interior peccatoris : res autem tantum & non Sacramentum , est remissio peccati.* *S. Tho. 3. p. q. 84. art. 1. ad 3.*

